

2

catus, & in ijs potissimum tentorijs constitutus, quibus  
vos, R R. P P. summa cum diligentia, & sanctitate pre-  
fidentis, rem profectò satis indignam fore existimau, si  
vbi indefessi labores iugesque vigiliæ ad hostium profla-  
gationem desiderantur, ego oscitanter persisterem, 2  
marcescerem otio, desidia torperem, & quasi ementiris  
signis, in hac Sanctorum statione pro aduersarijs mili-  
tarem; quin potius ignavia longè ablegata, summi du-  
cis, Saluatoris nostri frætus auspicijs qui os mutorum  
facit disertum, qui genua debilia roborat, imò qui in-  
firma mundi eligit ut fortia quæque confundat, vestra  
pariter iuessione vrgente, cui vel minimum detrectare  
Religio est, arripui buccinam ad personandum, cepiq;  
pro modulo virium mearum exitium hostibus intenta-  
re. Et quidem buccina cui os applicui, non nisi Iubilço  
inseruit; quandoquidem nostræ hæ casuum conscientiæ Decisiones, sacramentalis poenitentiæ; qua ad pec-  
catorum remissionem peruenitur, obseruationes de-  
monstrant, dubia enodant, modos, regulasque præscri-  
bunt, in quibus, & si passim breues aliquas contra vitia,  
declamationes inseruerim, eas tamen dicato opere pro-  
sequi, conuenientius fore duxi; quare duos libros hoc  
argumento conscriptos, sub vestro etiam nomine (si an-  
nueritis) quamprimum in lucem dari curabo: effecimus  
namque ut per totius anni curriculum Sermones oportu-  
nè subessent, atque hunc in modum, ut occasio se se  
obtulit vitiorum obscaenitates ac turpitudines ob ocu-  
los legentium ponere enixi sumus, ut & in hoc misti-  
cam illam exercitus Iosue contra Iericho vociferatio-  
nem æmularemur. Vos ergo, R R. P P. nostros hosce  
conatus, postrema iam cumulatiōri editione, in vulgus

pro-